Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1653

Quelle:
Copyright:

innoteſcimus, quod nos de conſilio et aſſenſu ſuffraganeorum noſtrorum et Cleri tocius noſtre Cantuarien. prouincie ipſum Jo. velut erroneum ac ſuas opiniones in Theologia vt hereticas ac in loyca et philozophia erroneas exactiſſimis examinacione et diſcuſſione prehabitis condempnauimus prout merito fuerunt condempnande. Quod ad veſtram noticiam deducimus et deduci uolumus per preſentes Sigillo noſtro conſignatas. Datum aput Crolkner VIII. die Menſs. Maij Anno Domini M°. CCCCXI°. noſtre translationis (a ſede Eborac.) *Anno XV.*

XVII. *fol.* 98. *Determinatio doctorum ſacre Theologie.* Sunt primum Errores VI. notati in *Wicleffi* Doctrina, dein XLV. noti illi *Articuli* ex ejus Libris extracti, qui praevie non tantum in *Bohemia*, ſed jam an. 1380. *Londini* in Monaſterio FF. Praedicatorum a *Cantuarienſi* cum 13. Epiſcopis et 30. Magiſtris Theologis condemnati dicuntur. Vide et *Cod.* DCCXXXIII.

XVIII. *fol.* 101. p. 2. *De Condempnacione Wiklef per ſinodum conſtan. et Johannis Hus et Jeronimi.* Epiſtola eſt a *Concilio* data ad Archiepiſcopum, Capitulum, Suffraganeos et Clerum *Prag.* quae incipit: *Magnum temporibus noſtris infortunium* &c. et legitur integra T. XVI. Collect. *Concill. Labb.* edit. *Venet. col.* 280. excerpta vero *Cochlaei* L. III. p. 120.

XIX. *fol.* 104. p. 2. *Reuocacio Jeronimi.* Videlicet *Pragenſis* in Concilio *Conſtant. Seſs.* 19. 23. *Sept.* 1415. quae praemiſſis Titulis incipit: *Cum ex ſacra biblia conſtat vere atque veraciter* &c. In Collect. *Concill. Labb.* T. XVI. dividitur in *Harengam* praeviam et ipſam *Abjurationem*, quarum illa extat edit. *Venet. col.* 943. haec *col.* 292. Apud *Cochlaeum* conjunctae leguntur L. III. p. 126. Abeſt vero a *Codice* Articulus penultimus, quo declarat *Hieronymus*, quo ſenſu dixerit *Eccleſiam trifarie diſtinctam.*

XX. *fol.* 108. *Sermo magiſtri Jacobi* (Arigonii de Balardis O. P.) *Epiſcopi londonen.* (Laudenſis) *Et magiſtri Sacri Palacii* (olim Bonifacii IX. et Gregorii XII.) *in condempnacione Huſs coram Sereniſſimo Imperatore Sigismundo et ſacro Conſtan. Concilio Anno domini Milleſimo* CCCCXVII. (l. XV.) *die VI. Menſs. Julij.* Extat in Actis *Hardtianis* Concilii, et in *Concill. Labb.* edit. *Venet.* T. XVI. *col.* 1323. ubi et *Codex* noſter citatur. Initium eſt: *In Nomine Patris* &c. *Diuini ac ſupremi preſidij ſupplici inuocacione confiſus* &c. De Autore, qui, ut infra videbitur, etiam *Hieronymi* Supplicio prolufit, adi, ſi lubet, *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 783.

XXI. *fol.* 110. p. 2. *Iſtos verſus lugubres dixit Joh. papa XXIII. ſedens in carceribus.* De Carceribus *Johannis* narrat *Theod.*